Jesus

Morbio 23 (125)

Antonius de Bentonibus decretorum doctor Archidiaconus ecclesie maioris Cremone Reverendi in Christo patris et domini domini Laurencii Gabriel Juris utriusque doctoris dei
et apostolice sedis gratia Episcopi et comitis Bergomensis Vicarius generalis Universis et singulis quibus presentes nostre pervenerint salutem et sinceram in domino caritatem Et
Noveritis quod nobis per Alouisium Tamboni de Rotha et Stefanum Martini de Pagi de Barzana diocesis Bergomensis coniunctores et procuratores nomine Marthe
eius filie presentate fuerunt littere Summi penitenciarii tenoris subsequentis quas nos suscepimus et ad illarum execucionem procedere nos obtulimus. Venerabili
In christo patri dei gratia Episcopo Bergomensi vel eius vicario in spiritualibus Julianus miseracione divina Episcopus ostiensis salutem et sinceram in domino
caritatem Sedis apostolice providencia circumspecta nonnumquam rigorem Juris mansuetudine temperat: Et que sacrorum canonum prohibent instituta de gratia beni-
gnitatis indulget prout personarum et temporum qualitate pensata In domino salubriter expedire cognoscit Sane pro parte Alexii de Tamboy Laici et Marthe filie et
Stephani Martini mulieris Loci de Bardesana vestre diocesis nobis oblata peticio continebat quod ipsi olim desiderantes prout adhuc desiderant ex certis
rationabilibus causis invicem matrimonialiter copulari sponsalia inter se per verba de futuro contraxerunt Sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem
sunt coniuncti desiderium eorum in hac parte adimplere non possunt dispensacione apostolica super hoc non obtenta Quare supplicari fecerunt humiliter Idem exponentes eis super
hiis per eandem sedem de opportune dispensacionis gratia misericorditer provideri Nos igitur eorum in hac parte supplicationibus inclinati Auctoritate domini pape cuius penitenciarie
curam gerimus Et de eius speciali mandato super hoc vive vocis oraculo nobis facto circumspectioni vestre committimus quatenus si est ita cum eisdem exponentibus
quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante possint inter se matrimonium libere contrahere et in eo postquam contractum fuerit licite remanere misericorditer
dispensetis dummodo dicta mulier propter hoc ab aliquo rapta non fuerit prolem suscipiendam exinde legiptimam decernentes Datum Rome apud sanctum Petrum sub sigillo
officii penitenciarie nono Kalendas Augusti pontificatus domini Innocencii pape octavi anno octavo: Quibus litteris ut prefertur presentatis et sigillo prefati Reverendi domini
maioris Penitenciarii munitis ac receptis per nos fuimus per supradictos Alouisium et Stephanum Martini procuratores nomine supradicte Marthe eius filie in ipsis litteris nominatos
debita cum instantia requisiti quatenus ad premissarum litterarum execucionem debitam procedere debere iuxta illarum formam vim et tenorem Quare nos procedere volentes
prius habitis informacionibus a personis fidedignis et fide dignis et contento narrata in litteris esse vera: Hac sic presenti auctoritate nobis dellegata et qua fungimur in hac
parte cum ipsis Alouisio et Marta quod predicto quarto consanguinitatis gradu quo invicem sunt coniuncti non obstante possint inter se matrimonium per verba de
presenti se recipere contrahere et in eo postquam contractum fuerit licite remanere misericorditer dispensamus et dispensatum prolemque ex ipso matrimonio suscipiendam
legiptimam decernentes Et hec cum omnibus solemnitatibus debitis et opportunis In quorum testimonium has fieri iussimus et nostro sigillo roborari Datum in
Episcopali palatio Bergomi in Camera audiencie nostre die sabati septimo mensis Januarii MCCCCLXXXXII indictione decima presentibus domino Christoforo de Caravaggio notario
... Fachini de Massiis testibus notis et idoneis ad premissa vocatis et rogatis

1492

XXIX, 158

Morbio 23 (125)

Resignatio pro ilo de berzomo

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1858733618-18/fragment/page=0002